

VI. Deinde Religionem Gentilium, etiam ubi non est opus, ita gerit in oculis, ut non erubuerit Idolis consecrare integras cantilenas, *vid. lib. I. cap. 16.* Unde nascitur suspicio, morbum Lipsio, Longolio, Pomponio Læto aliisque Philologis communem, huic etiam infedisse Barclajo, ut ab admiratione veteris Gentilismi dilaberetur ad tacitum aliquem assensum Atheismo non absimilem.

VII. Sed abeamus à nævis, quos evitare quidem possunt omnes, qui semel audiverunt, Ethnicismum styli à Christianis explodendum: cum illæsus interim sit verborum & formularum splendor.

VIII. Et vero nec Ciceronem sequitur vel Tacitum aut Livium, nec à Plinio, Seneca, Petronio, Apulejo &c. dependet; In Versibus etiam sic imitatur Lucanum, Statium & præ cæteris Claudianum, ut legisse simul videatur Poëtas Augusti ævo claros. Uno verbo: in potestate habuit puram Latinitatem, & liberam verborum sublimitatem.

IX. Unde stylum agnoscimus verè liberum, & ex ingenii impetu fluentem: planè ut olim Tacitus & Plinius, non ita pridem Lipsius & Puteanus in suo scribendi genere nec similem habuerunt Antecessorem, nec accuratum invenient successorem. Ipse enim Grotius Annalium & Historiarum imitator, si vel maxime Tacitum superet iudicio, vix tamen æquasse videtur in Sermonis profundo Laconismo.

X. Etenim quilibet Eruditus Stylum sibi format, ac nemo Scriptores imitatur minus, quam qui maxime studet imitari. Certè Muretus ideo non accessit proxime ad Sermonem Ciceronis, quod eundem sedulo trivisset, sed potius, quod ingenium haberet indoli Ciceronianæ propinquum. Forte hoc flumine scripturus, si ex aliis Auctoribus proficisset.

XI. Non ignotus est Paulus Manutius Ciceroni quam deditissimus, sed qui suis Studiis stylum quidem tersum & elegantem, non tamen Ciceronianum acquisivit. Nam Ciceronis Scriptio quam maxime libera, extemporalis, rebus non minus, quam verbis dedita, & quod palmarium, ex animi fonte deducta. Vicissim hic septimanas etiam integras vel in una consumpsit Epistola, ut servili Examine singula verba ad Lydium hunc Lapidem probarentur, adeoque Phrasium tanta cura vix ad liberam ingenii facultatem spectare posset.

XII. Bugnotius etiam Argenidis Continuator, nisi passim formulas à Barclajo petitas inspergeret, è reliquo stylo ne lectum quidem Barclajum, ne dicam expressum testari videretur.

XIII